

TABULA IV. DE POTENTIA.

τὸ actu esse oppo-
nitur τὸ potentiā
esse; opposita au-
tem juxta se posi-
ta eò magis elu-
cescunt. Cum igitur
de ACTU in
priori Tabulā a-
ctum fuerit, neces-
se est, ut jam aga-
tur de POTEN-
TIA; Ubi notari
debet

1. **AMBIGUITAS VOCIS:** Alias enim significationes habent 1. *potentiā esse.* 2. *Potentiam esse.* 3. *Possibile esse.* 4. *In potestate esse.* Potentia Latinis idem est, quod Græcis *δύναμις*, soletque & **POTESTAS** appellari. Non quidem Latinæ voces adeò prorsus significatione æquantur, ut ubique commutare unam cum alterā liceat, nam *potentia* notat vires agendi, *potestas* autem interdum jus ac licentiam, quæ diversissima sunt, habet enim hic Rex *potestatem* occupandi has Urbes, non verò *potentiam*; alius contra habet vires, sed jure destituitur. τὸ *potentiā esse*, notat rem actu non esse, *posse* tamen esse, & ita additam habet negationem actus. *Potentia* ipsa in suā naturā abstrahit *ab actu & negatione actus*: Sicuti aliquem, sive scribat, sive aliud agat, *potentiam scribendi habere & scribere posse* dicimus, cum interim, quando scribit, *potentiā scribere* vel *scribens* non æquè dici possit. **POSSIBILE** verò est concretum, quod præter *potentiam* notat rem ipsam.

IMPROPRIE, quæ meram *non repugnantiam* involvit. Eaque triplex dicitur. 1. *Geometrica*, ut cum Linea dicitur *potentiā* triangulus. 2. *Logica*, quali *potentiā* gaudent *predicabilia*, quatenus de pluribus prædicari; *propositiones*, quatenus simpliciter vel per accidens converti; *sylogismi* secundæ & tertiæ figuræ, quatenus ad primam figuram reduci possunt. 3. *Potentia Objectiva Scoti*, ad quam requiritur. (1.) *Ne res sit*, (2.) *Vel esse possit*. (3.) *Nec sit aliqua ipsius pars*. Sic mundus ante creationem erat in *potentiā* objectivā respectu DEI, poterat enim ipsius in producendo quasi objectum fieri. Non verò est in *potentiā* objectivā chimæra, utpote cui repugnat esse, nec etiam rosa in hyeme, licet enim ipsa non sit, est tamen ejus materia, in cujus *potentiā* latet, hinc potius est in *potentiā* *subjectivā*. (α)

PROPRIE, quæ est, *quā aliquid aptum est agere quippiam vel pati.*
II. **ACTIVA** quæ est *id, quò aliquid aptum est producere aliud*. Aliud hic dicitur, quod habet essentiam, si non specie saltim numero diversam. Hinc in hujus *potentiæ* censum non venit incomprehensibilis illa vis & fecunditas, quā DEUS Pater ab omni æternitate ex substantiā suā genuit filium; non enim ut aliud *essentiā*, sed ut alium *ὑποσῶσαι* sive tantum ut aliam personam, intra eandem numero essentiam produxit. *

PASSIVA quā aliquid aptum est recipere aliud; putā tum *actionem*, quæ à *potentiā* activā manat, tum *terminum actionis*, sive rem, quæ per eam producit. Hinc hujusmodi *potentia* & *Receptiva*, & quia per eam aliquid aptum est esse actionis ejusque termini subjectum, ob id etiam *subjectivā* appellatur.

LIBERA, quæ positis omnibus ad agendum requisitis (β) *potest agere & non agere*, (γ) *potest hoc & illud, hoc & illò modò agere*. Sciendum hic τὸ *liberum* non sumi prout opponitur *servituti*: Potest enim quis *potentiam liberam* habere, ut tamen sit servus. Nec prout contradistinguitur *coactioni*; potest enim quis coactè agere, ut tamen liber sit in præsentis significatione, quæ respicit internam naturam, non verò principia extrinseca. Sed τὸ *liberum* sumitur in strictiori significato, prout non **VIOLENTIAM** modò & **SERVITUTEM**; sed & internam sive naturalem necessitatem excludit. **

Duplex autem est **LIBERTAS**, nempe vel *Exercitii*, ve. *quoad speciem actus*. Libertas **EXERCITII** est, quā quis potest *agere & non agere*. Unde etiam *Libertas Contradictionis* appellatur, quā intra terminos contradictorios versatur. Ita Scriptor chartæ, calamò, atramentò instructus potest *scribere & non scribere*. **LIBERTAS SPECIFICATIONIS**, quæ etiam *contrarietatis* dicitur, in eò consistit, quod quis positus omnibus ad agendum requisitis, possit contraria agere; sicut pro lubitu quis potest ascendere & descendere, amare & odisse. Dicitur *specificationis*, quia versatur circa actus *specie* distinctos. Dicitur *contrarietatis*, quia versatur in terminis *contrariè* oppositis. Ubi notandum, quod contraria latiùs hic sumantur & includant etiam disparata, qualia sunt edere, bibere, legere. (δ)

NATURALIS, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, & iisdem positis ad agendum requisitis non potest **PER**

A

B

(B) 3

SE CON-